



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Decisio CVIII. De Peculio Religiosorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



# TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Ca-  
nonicorum Regula.  
rium.

DECISIO CVIII.

De Peculio Religiosorum.

*SPECIES FACTI.*

**I**N quodam Asceterio ( quale il-  
lud sit, & cujus Ordinis, ad  
me perscriptum non est, &  
hinc hodie dum ignoro ) ab im-  
memoriali tempore usus & praxis  
obtinuit, ut Religiosi peculium, seu  
pusillam pecuniam ( ferè non ultra  
40. florenos ) quæ vel à parentum  
aut consanguineorum liberalitate,  
vel ex Missarum stipendijs &c.  
quandoque ipsis obvenire solet, cum  
Superioris licentia recipere, apud  
subordinatum Superiorem depo-  
nerent, & ab hoc in distinctis pro-  
quo libet scriniolis asservam rur-  
sus peterent, & obtentâ novâ licen-  
tiâ expenderent pro occurrente  
particulari necessitate, utilitate,  
comi-

commoditate, atque in usum honestum, quem Superiori subordinato seu depositario aperiebant, v. g. ad faciendum iter cum Superioris venia instituendum, ad coemendos libros aut pia munuscula, vel etiam ad honestam recreationem &c. Nuper autem accidit, ut novus Superior mediatus, seu stimulante nimio Religiosæ disciplinæ zelo, seu tenerioris conscientiz ductu aut

scrupulo, ejusmodi scriniola & peculia, quæ etiam vocamus *Deposita*, valde persequi inciperet, imò penitus tollere moliretur, causatus, ea Religiosæ paupertati, vitæ communi, SS. Canonibus adversari, Quapropter ad me recursum, & hæc mihi proposita est

QUÆSTIO.

An Religiosis habere hujusmodi peculia, & Superioribus ea concedere liceat?

Rationes dubitandi.

Quod non liceat, intendit Superior ille mediatus probare i. ex S. Regula Ordinis sui, quæ vult omnia esse communia, neminem habere aliquid proprium: sed habentes & retinentes hujusmodi peculia volunt ea ita asservari, ut aliis non sint communia, cæque dicunt esse *sua*, adeoque tenent ut propria: ergo. Nec sufficit dice-

re, ea à parte rei fieri & esse communia; nam utique apud Religiosos implicat verè proprium, & si hæc excusatio procederet, implicaret Religiosus Proprietarius: consequenter sola voluntas, qua nolunt suum peculium alijs esse commune, sufficit ad constituendum Proprietarium contra votum paupertatis. Confirmatur: qui hoc modo pecunias dant Superiori pro suis usibus asservandas, solum custodiæ causâ eas de-

B b 2

ponunt, non ea mente, ut in commune & in bonum Communitatis expendantur: ergo eas tradendo non redigunt in commune; cum utique traditio, quam solam præstant deponentes, distinguatur à redactione in commune,

2. ex Jure Canonico antiquo, scilicet ex c. *Monachi* 2. h. 1. ubi sic habetur: *Monachi nec peculium permittantur habere: qui verò peculium habuerint, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permittum, à communione removeatur Altaris.* Ex quo textu rectè inferitur, omne peculium Religiosus, qui non sunt Officiales quādam administrationem rerum temporalium habentes sibi commissam, esse prohibitum, & quidem etiam cum licentia Superiorum, quia prohibitio peculii dirigitur ad Superiores per verba, nec permittantur: ergo nec est in potestate Superiorum dare licentiam.

3. ex Jure Canonico novissimo, scilicet ex Concilio Tridentino, in quo sess. 25. de Regular. c. 2. manifestè prohibentur hujusmodi deposita & peculia his verbis: *Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel NB. mobilia, cujuscunq; qualitatis fuerint, etiā quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam NB. nomine Conventus, possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, NB. Conventuique incorporentur.* Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad u-

sum fructum (cujusmodi concessio appellari solet *Libellus*) dein pergit: *Mobilia verò usum ita Superiori permittant, ut eorum suppellex statim paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur.* In quo textu ponderanda sunt sequentia: mobilia cujuscunq; qualitatis, quovis modo acquisita, 2. nomine Conventus possidere, quibus denotatur, nec ipsum Conventum, aut Superiorem dare licentiam posse. 3. statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur: incorporati autem est confundi vel potius commisceri cum alijs bonis Communitatis sine ullo discrimine peculii particularis & proprii. Unde Clemens VIII. & Urban. VIII. Decretum Tridentini sic declarabant: præcipitur (in Tridentino) ut nullus ex fratribus, etiam si Superior sit, bono immobilia vel mobilia aut pecuniam &c. siq; ex Lectionibus, aut pro Missis, aliove jullo labore & causa, & quocunq; nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut priorum largitione, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, proventus confundantur, quo communis inde usus

& vestitus omnibus suppeditari possit. -- nulla quacunq[ue] Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia & mobilia, fratres excusare possit, quò minus culpa & pena ab ejusdem Concilij decretis imposita & ipso facto incurrenda obnoxij sint. -- Fratrum vestitus & supellex cellarum ex communi pecunia procurantur, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniant, ita ut nihil superflui admittatur. Atque hæc Tridentini dispositio ac de super data Pontificum declaratio tam apertè proscribunt deposita & peculia Religiosorum, ut non appareat, quì valeant ulterius defendi, præsertim quia

4. Deponentes, & deposita hujusmodi admittentes Superiores, non alio nituntur fulcro, quàm per versa praxi, consuetudine, aut præscriptione, quæ tamen nulla ac invalida est, potiùsque corruptela vitæ Regularis, & sanctæ paupertatis everfiva, ac disciplinæ laxitas, quàm legitima consuetudo vel præscriptio, dicenda est: ergo non solum Religiosi privati in conscientia tenentur huiusmodi deposita non accipere, nec retinere, sed etiam Prælati Regulares illa eliminare.



### Rationes decidendi.

UT autem isthæc præbeant speciem veritatis, ab hoc tamen rigore recedendum, & pro indubitato tenendum esse existimo, hujusmodi peculia, prout in specie tacti descripta sunt, iisque similia, etiam ad majorem quantitatem ascendentia, si recipiantur cum Superiorum licentia, apud hos deponantur, atque, ubi ad certos usus atque honestos, Superioribus manifesta-

ros, in proprias necessitates, utilitates, & commoditates volunt expendere, Religiosi novam petant facultatem, contenti interea, si Superiores vel negent licentiam, vel in Communitatis commoda convertere velint, tam à subditis licitè accipi & retineri atque expendi, quàm à Prælati Regularibus licitè concedi posse. Ratio est multiplex. 1. B b 3 quia

quia hujusmodi peculia nec repugnant voto, etiam solenni, paupertatis Religiosæ, adeoque nec Juri Naturali, quod in dicto voto fundari deberet. 2. neque Juri Canonico antiquo. 3. neque recentiori, nempe Tridentino: & contra 4. defenduntur à communissima Canonistarum & Theologorum, & 5. ab universali Regularium utriusque sexûs praxi & consuetudine pro licitis habentur. Probantur jam singulæ hujus argumenti partes. Itaque

Pars 1. sumitur ex natura voti paupertatis, ut eam explicant SS. Canones in *can. 11. caus. 12. q. 1. c. 4. & 6. h. 1.*, aliisque, & Doctores fortè omnes, secundùm quos votum paupertatis Religiosæ solùm obligat ad hoc, ut persona Religiosa nihil (h. e. pecuniam aut aliam rem pretio temporali æstimabilem) habeat aut possideat *proprium*, & ut nulla tali re (licet forsan adhuc propria & in dominio Religiosi esset, ut contingit apud Scholasticos Societatis Jesu, usque dum abdicaverint se dominiõ) *tanquam propria* utatur, h. e. ut nihil possideat & usurpet sine licentia Superioris, nomine proprio, independentè ab eo, qui præest, & irrevocabiliter instar domini & proprietarij. Laymann *l. 4. tit. 5. c. 7.* cum S. Th. & aliis. VViestner *h. 1. n. 18.* &c. atqui peculia, de quibus est sermo, Religiosi non accipiunt vel retinent ut rem propriam, neque ijs

utuntur tanquam re propria, nomine proprio, independentè à Prælati, irrevocabiliter, sed cum licentia Superiorum, apud quos etiam deponunt (quod tamen absolute non foret necessarium) non solùm accipiunt, sed etiam cum eadem licentia expendunt in usus honestos, extraordinarias necessitates hinc inde occurrentes &c. ergo licitè accipiunt, retinent, vel apud Superiores, vel cum horum permissione apud se aut alium, & expendunt: ergo votum paupertatis Religiosæ non violant, nec sunt Proprietarij; nam *Proprietarius* Religiosus est, qui clam, independentè à voluntate Superiorum & licentia, qui utique spectato voto paupertatis subditorum, consequenter & Jure Naturali, licentiam dare possunt, aliquid temporale pretio æstimabile accipit, retinet, possidet, expendit, vel aliter de eo disponit; id enim esset habere aliquid *tanquam proprium* (nam verè proprium habendi utique incapax est Religiosus verè Professus) vel re *tanquam propria* uti.

Pars 2. quam tenent plerique cum Navarro *Comment. 2. de Regular. n. 14.* *Comment. 3. n. 27.* Suar. *10. 3. de Relig. l. 8. c. 14. n. 4.* Sanch. *l. 7. Mor. c. 22. n. 5.* probatur tum negative, quia nullus in toto Corpore Juris Canonici occurrit textus talia prohibens peculia, tum positive ex *can. qui Cler. vel vor.* ubi approbatur Professio,

fessio, quam dives puella fecit sub  
 conditione vivendi in propria domo  
 cum omni substantia sua, & bonorum ad-  
 ministracione in suam sustentationem,  
 quia nempe hæc conditio fuit  
 adiecta de consensu & permissione  
 Superioris. item ex can. 10. 11.  
 can. 12. q. 1. can. 7. q. 2. ead. caus.  
 can. 16. caus. 18. q. 2. c. 7. de off. Ord.  
 c. 5. de Regular. c. 2. 4. 6. h. t. ubi  
 solum prohibentur Regulares acci-  
 pere aliquid occultè, quod volunt ha-  
 bere ut proprium, vel retinere aliquid  
 particulare, quod in manus Superio-  
 rum, id petentium, resignare nolunt,  
 vel quod contra regulam latenter à Su-  
 perioribus non permillum possi-  
 dent, aut irrevocabiler, v. g. per  
 contractum conducendo bona im-  
 mobilia &c. ergo cum scientia &  
 licentia Superioris ad usum pro libi-  
 tare vocabilem recipere, retinere,  
 expendere peculium à Canonibus  
 non est prohibitum, utpote non ha-  
 bitum vel usurpatum tanquam pro-  
 prium; nam certum est, ut ait S. August.  
 in can. 11. cir. eos (Religiosos) nihil  
 habere, possidere, dare, vel accipere de-  
 bere. NB. sine licentia Superioris; ergo à  
 contrario cum licentia Superioris  
 possunt habere &c. sic enim rectè in-  
 ter Gloss. Decius, Garc. Sanch. de  
 Matrim. l. 5. d. 9. n. 14. & alii cum  
 Barbosa Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 42. n.  
 151. Unde S. Benedictus in sua Re-  
 gula c. 33. ita præcepisse perhibetur:  
 nec quidquam liceat habere, quod Abbas  
 non dederit, aut permiserit: ergo Abbas

potest aliquid permittere, & sub-  
 diti, quod ipsis permittitur, ha-  
 bere.

Pars 3. quam quidem aliqui  
 non amplectuntur cum Molin. tr.  
 2. de Just. d. 276. Suar. lo. cit. c. 14.  
 n. 8. Palao tr. 16. d. 3. pu. 7. n. 5.  
 Fagn. in c. Monachi h. t. n. 10.  
 segq. & Vinc. Petra to. 4. comment.  
 fol. 169. n. 25. segq. (licet hi ipsi  
 Auctores Tridentino derogatum  
 esse passim recepta consuetudine  
 contraria fateantur) à longè tamen  
 pluribus sustinetur ut vera, atque ex  
 melioribus rationibus, nimirum 1.  
 quia Tridentinum sess. 25. c. 2. de  
 Regular. nihil novi, & ab antiquo  
 Jure diversum statuisse videtur, dum  
 in margine se refert ad c. 2. & 6. h. t.  
 exceptò forsan punctò, ubi dispo-  
 nit de bonis stabilibus. 2. quia solum  
 illud prohibet peculium, quod tene-  
 tur tanquam proprium, & cum voto  
 paupertatis pugnat. 3. quia expres-  
 se Superioribus concedit mobiliu  
 sum suis subditis permittere, conve-  
 nientem statui paupertatis. 4. quia  
 Trid. illa duntaxat peculia vetat.  
 quæ Conventui non incorporantur:  
 sed peculia eò ipsò, quòd Superori  
 manifestentur, concedantur, vel  
 etiam in ejus manu reponantur, non  
 malè dicuntur incorporari Conven-  
 tui; quidquid enim Monachus li-  
 citè acquirit vel habet, suo Conven-  
 tui acquirit vel habet, nec est neces-  
 se, ut in communes Conventus  
 sumpt-

sumptus destinatur actu, sed sufficienter, quod Prælato data sit potestas destinandi in communes sumptus, si, & quodcumque voluerit, licet hic & nunc destinatur in particularis Religiosi, qui est membrum Conventus, privatum usum & in sumptibus, quibus indiget pro casibus occurrentibus. Hoc ipso, quod Religiosi tradant Superiori sua peculia, quin sibi reservent ullum jus, arbitraria Superioris dispositioni concedant, & simplicem duntaxat usum facti petant, ac sperent cum licentia Superioris, semper ab ipso revocabilem (quod Tridentinum utique non voluit prohibere, cum votum paupertatis id non excludat) satis intelliguntur sua peculia possidere nomine Conventus. 5. quia incredibile non est, ut advertit Illustriss. de Arauxo Episcopus Segoviensis in *Decis. Moral. Ecclesiast. rr. 3. q. 29.* Tridentinum Synodum, majori ex parte congregatam ex Episcopis varias Religiones professis, & Ordinum Generalibus, damnare intendisse usum & observantiam in Religionibus adeo consuetam, quam ignorare non poterant.

Pars 4. fit manifesta ex inspectione Auctorum, qui ita conspirant, ut Clericatus de Regularibus *discord. l. n. 6. & 9.* audeat dicere, omnes Canonistas, & omnes Theologos ita sentire. Ex Canonistis in specie sic sentiunt Innoc. Jo. Andr. Butr. Abbas, Chalderin. Covar. Navar. Nicolius, Barbosa de J. *E. U. l. 1. c. 42. n. 73.*

seq. ubi plures accumulatur. Accedunt Recentiores, quod scio, plerique omnes, saltem attentata consuetudine, licet pauci quidam dissentiant præcisè spectatò Tridentino. Ex Theologis Beia, Diana, Lezana, Peyrinis, Pellizar. citans Suarezium, Palao, saltem in societatem assumendo consuetudinem, *l. cit. n. 6. Sanch. in Decal. l. 7. c. 4. n. 97. seq.* ubi probat, etiam tempore Professionis posse aliquem cum licentia Superioris sibi reservare bona quoad usum, revocabiliter tamen ad nutum Superioris, & *l. 7. c. 22. n. 14.* demonstrat, posse Superiores Religionum concedere subditis usum peculij pro eorum indigentis dependentem à voluntate Superiorum, Bordonus de *Panprate Religiosa c. 24. n. 33.* etiam modo indulget libellos, seu usufructum ex bonis immobilibus ad dies vitæ Religiosorum, qui subinde etiam vocantur *talitia*, & in Tridentino magis & de novo videntur prohiberi verbis: *nec deinceps licet Superioribus bona stabilia &c.* sic enim scribit: *licitum est Religiosis de licentia sui Superioris habere annuos redditus, libellos, seu usufructus; quod procedit, licet non sint Officiales.* 2. licet Conventus non sit pauper; 3. licet non sit ad determinatum usum, modo sit ad licitos & honestos usus pro utilitate ipsius Religiosi. 4. modo licentia non sit perpetua, sed revocabilis ad nutum Superioris, à quo dependet in usu, 5. demonstretur non obstante Tridentino, Illustriss. de Arauxo *n. 7. & 8.* etiam



notat, ubi Religiosis necessaria non subministrantur à Conventibus ob inopiam, majora etiam peculia à Superioribus permitti posse. Huic tantæ auctoritati accedit etiam auctoritas summi tribunalis Ecclesiastici, nimirum Rotæ Romanæ, cujus varias & clarissimas decisiones, etiam de annuis redditibus, qui in Italia, & apud Moniales ubique sunt frequentissimi, adducit laudatus Clericus n. 13. seqq. Jam sic arguo: ubi Doctores adeo conspirant, consensum & satis rationabile non esse credo ab ipsis dissentire; nam communis doctrina dat verum sensum & intelligentiam Legibus. Suarez de Legib. l. 6. c. 1. n. 5, sicut & consuetudo, quæ hac in re planè notoria est, siquidem

Pars 5. cadit quotidie sub oculos, dum videmus, in plerisque Religiosis Ordinibus utriusque sexûs à Superioribus concedi, & à subditis haberi sine omni scrupulo hujusmodi deposita seu peculia, quin à Monialibus etiam libellos & vitalitia à parentibus cum licentia Superiorum ipsi ad dies vitæ constituta. Testanturq; passim Doctores ferè unanimiter omnes, hanc esse universalem in omnibus provincijs praxim & consuetudinem omnium Ordinum Religiosorum & Conventuum utriusque sexûs, etiam eximie reformationis, & non mediocri virtutis & doctrinæ, sicut ante Tridentinum, (R. P. Pichler Decis. T. 2.)

ita & post illud. Illustriss. de Arauxo n. 8. cit. qui n. 7. præced. etiam de Ordine Franciscano strictæ observantiæ (saltem in Hispania, ubi vixit; de Germania puto verum non esse, saltem apud Religiosos strictæ observantiæ, de Monialibus enim tertij Ordinis aliud sentio) testatur, quòd non solum Communitates, sed etiam particulares personæ apud Sacularem Religionis Syndicum sua habeant deposita. Nicolius lucubrat. Canon. l. 3. tit. 31. sub. n. 16. ampl. I. scribit: pro hac sententia invaluit communis usus Urbis & Orbis. Jam rursus sic ratiocinor: utique velut illicitum damnari non potest, quod universali praxi & consuetudine comprobatur conscio & non reclamante Legitimo Legislatore, qui, si peculia forent contra votum paupertatis, & sic contra Jus Naturale, teneretur reclamare: si verò forent contra Jus Ecclesiasticum (uti tamen juxta dicta non sunt) consentiret in ejus abrogationem Pontifex; & hoc ipso evidenter declarat, peculia non esse corruptelam Regularis & Communis vitæ. Accedit, quòd consuetudo & observantia tam universalis sit optima Juris dubij (si ex Tridentino redderetur aliquo modo dubium, an non sint prohibita peculia) interpretis, ut communi axiomate inter Juristas circumfertur, desumpto ex l. si de interpretatione. ff. de legib. Et quòd consuetudo Communis & longissima, sicut facit Legem. cano. Cc

§. d. 1. ita quoque abroget legem humanam prius existentem. c. fin.

de Consuet. l. 32. ff. de Legib.

## Diluuntur Rationes dubitandi.

**A**D 1. 32. Negando *Min.* nam Religiosi cum licentia Superioris accipientes & retinentes peculia nullatenus intendunt ea sibi appropriare, sed acquirunt & habent Communitati, in quam, vel in cuius utilitatem, si velit Superior, expendere potest, ei que relinquunt liberam dispositionem, ut nempe vel in Communitatis, vel in suum bonum, quod sperant & cum debita indifferentia rogant, expendi faciat: nec est necesse ad hoc, ut res dicatur fieri communis, ut determinatè expendatur in usum Communitatis, nec ratio, quare non sufficiat eam expendi in usum membri Communitatis, atque in hunc finem reponi ac asservari in peculiari scrinio, salva interim Superioris potestate expendendi in utilitatem totius communitatis. Neque per hoc res fit propria Religiosi particularis, aut retinetur vel expenditur *tanquam propria*, quia accipitur & servatur cū licentia Superioris, semper revocabili, non nomine proprio, irrevocabiliter, & independentè à voluntate aut licentia Superioris. Adeoque voluntas taliter possidendi ac in usum privatos

cum dicta dependentia expendendi peculia non constituit Religiosum *Proprietarium*, qui dicitur ille solus, qui sine licentia, clam, & irrevocabiliter accipit, retinet, utitur rebus temporalibus, ac si essent propriae, seu in dominio Religiosi libero. Quòd autem Religiosi deposita dicant *sua*, tam parum facit proprietarios, quam parum, si dicant suum cubiculum, pileum, Brevarium &c. quia solam indicat concessio usus, sicut, si Fratres Minorum seu Franciscani strictæ observantiæ frustum panis vel altud ipso usu consumptibile dicunt esse suum, non aliud indicare volunt, quam incitum usum facti. Ad *Confirmatorem* negatur, quòd Religiosi sua peculia propriè & strictè *deponant*, tantum tanquam rem suam & custodia tantum causâ, vel obligando Superiorem, ut sibi concedat ad privatos usus tantum suos; sed Superiori tradunt asservenda tanquam rem Communitatis (cū, quicquid Religiosus acquirat, Communitati ac Religioni acquirat) relicta ipsi libertate disponendi vel in usus

Communitatis, vel ( quod rogant petendo licentiam, ac sperant ) in suas privatas necessitates. Per cuiusmodi traditionem tali animo factam res redigitur hoc ipso in commune, licet fiat cum animo ( citra intentionem tamen obligandi ) dispositionis faciendæ in particulares necessitates vel commoda membri communitatis, ut ut aliàs nuda traditio per se distinguatur à redactione in commune.

Ad 2. §. 1. in d. c. 2. prohiberi solummodo peculium, quod habetur & usurpatur tanquam proprium ac sine licentiâ Superioris; nam Summarium sic habet, *Monachus habens peculium sine licentiâ Abbatis, ab Altaris communi remouetur.* Glossa autem & Notæ post vocem *peculium* addunt, *id est, proprium*, nempe tanquam proprium, id quod etiam indicat textus, dum adijcit pœnas, quæ non nisi in Proprietarios, qui aliquid clam ac independenter à voluntate Superioris habent, juxta communem omnium cadunt: ergo à contrario recte inferitur, peculium, quod non tanquam proprium, nec sine licentiâ Superioris habetur, non prohiberi; & ad hoc habendum non prohibentur Superiores dare licentiam per verba, *nec permittantur*, sed solum ad habendum illud priori modo. 2. textus *cit. c. 2.* concedens peculium pro administratione non hoc ipso prohibet peculium ex alijs causis Religioni convenientibus, sed solum designavit unam causam,

nempe administrationis, velut frequentiore. Palao *tratt. 15. d. 3. pu. 7. n. 2.* imò 3, videtur hoc ipso, quod neget Religiosis concedi peculium nisi pro injuncta administratione, tacite ipsis concedere peculium, cujus administrationem ipsi non habent, sed Prælati, à quo petenda est licentia: ut accipiatur & expendatur; nam exceptio unius firmat Regulam in alijs, & qui ex duobus unum negat, alterum affirmare & concedere videtur: cum igitur Religiosis negatur peculium, nisi sint administratores, quibus permittitur, ut illud administrent, alijs concedi videtur, qui injunctam administrationem non habent, vel peculii sui liberam.

Ad 3. Ad Tridentinum, & subjunctas illius declarationes patet Responsio ex tertia ratione decidendi, ubi inter alia ostensum est, quomodo fiat incorporatio peculij, quomodo Religiosus illud non nomine proprio, sed nomine Conuentus possideat, & quod solum illud prohibeatur, quod tenetur *tanquam proprium*. Distinctio scriniorum, vel loculorum, in quibus asservantur peculia, se habet merè materialiter, ac ideo conceduntur, sicut peculia, ita & loculi distincti. 1. ut major haberi possit ratio & respectus deponentium. 2. ut frænum injiciatur ijs, qui plurima petunt, & parùm vel nihil inferunt. 3. ut consulatur œconomix; secus enim oblata munera ac dona ut plu-

rimùm repudiarentur, & sic omnia peterentur ex communi arario Monasterij. 4. ut Superiores faciliùs inducantur ad succurrendum extraordinarijs singulorum indigentij; difficulter enim provident ex communi arario. 5. ut constet Superiori, quantum quisque expendat, quantumque indulgendum vel negandum singulis. 6. ut caveatur invidia aliorum, ac singuli excitentur ad exactam in functionibus suis industriam, vi cuius habeant aliquid pro honesta recreatione, itinere commodiùs faciendo sine onere Monasterij, libris, munusculis, elemosynis &c. Quæso! si Superior pro sua commoditate, in scis subditis, designaret distinctos pro singulis Religiosis suis loculos ad occurrendum eorum particularibus indigentij, sanè nemo diceret, id illicitum esse: quare ergo id ipsum dicatur illicitum, si subditi sciant hos distinctos loculos? an non hæc scientia vel notitia prorsus materialiter se habet? Dices: Tridentinum & Pontifices acquisita jubent commiseri & incorporati bonis Conven-

tium, ut inde communis omnibus præbeatur vestitus & victus. Etiam ex hispeculij potest Superior, si velit (non tamen tenetur) suppeditare vestitum & victum, dein Trid. & Pontifices eò solum tendunt, ne Religiosi sibi ipsis teneantur providere de necessarijs, talesque habere debeant redditus, ut ex his sibi illa procurent, seclusa nimirum paupertate vel distantia Monasterij, ut DD. explicant.

Ad 4. Negatur *Antea*, secundùm totam suam latitudinem. Ratio negandi est manifesta ex 4. & 5. ratione decidendi, seu 4. & 5. parte probationis nostræ: negatur quoque, quòd hæc tam universalis consuetudo sit contra ullam Legem, seu Naturalem seu Positivam, adeoque quòd sit corruptela, perversa praxis, paupertatis Religiosæ everfiva. Et licet esset contra Legem Ecclesiasticam, tamen foret legitima consuetudo, ac huius legis abrogatoria, & communi DD. calculo approbata.

